

6

D. T. C. A.  
 DISPUTATIONEM ETHICAM  
*De*  
**SPONTANEO**  
**AC INVITO,**  
**PHILOSOPHORUM**

Amplisf. Facult. assentiente,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Excellentissimi atq; Clarissimi*

**DN. M. VALENTINI ALBERTI,**

Dialect. & Metaph. Prof. Publ. Facult. Philos.

Affessoris & Colleg. B. M. Virginis Collegiati,

*Fautoris ac Præceptoris sui, omniobservantia cultu  
 etatè colendi,*

Publicæ Eruditorum censuræ

*In*

Academia Lipsiensi

*Ad d. XXX. Aprilis M. DC. LXIV.*

H. L. Q. C.

*submittit*

**DIETERICUS BECKMANN/ Sed. Pom.**

*Autor & Respondens.*



LIPSIÆ

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.

Philos.  
 C.  
 200,8



SPONTANEO


MACINTOSH

PHILIPSON

DAMONIALE

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden





Theſis I.

**I**N voluntate quidem hominis actionum bonitas pariter & malitia concipitur, gigniturq; . Atque cum ea propter naturæ suæ privilegium cogi dedignetur, ejus actiones omnes sunt voluntariæ, nec in spontaneas & invitas distingui possunt; Quæ verò ab eâ imperantur, & extrinsecus se produnt, eæ, prout ab aliis bonæ vel malæ haberi debent, spontè an coactè fiant, attentè considerandum est.

Oderunt peccare boni virtutis amore;

Tu nihil admittes in te formidinae pœnæ,

Dicit Horatius epist. lib. I. 16. ubi spontaneas virtuosas commendat, & vitiosas mixtas prohibet.

Theſ. II. Cum n. in iis rebus, quas spontè suscipimus, laudes & vituperationes locum habeant: jis autem, quas inviti facimus, venia atque etiam interdum misericordia tribuatur: Necessè est fortasse, ijs, qui virtutis viam naturamq; quærunt, id quod spontè & id quod invitè fit, definire ac distingvere. Id verò conditoribus etiam legum ad honores pœnasq; decernendas utile est. Verba sunt ipsius Philosophi 3. Nicomach. c. 1. in quibus tum occasionem tradendæ hujus doctrinæ sibi propriam, tum utilitatem nobiscum communem recenset. Occasio ipsi erat definitio virtutis, II. Nicomach, c. 6. tradita; & jam explicanda. Cum n. ejus genus habitus electivus sit, & omnis electio fiat spontè, ideò de Spontaneo sibi agendum esse non immeritè putat. Inde liberalius agentes Scholastici doctrinam de principiis actionum humanarum omnem elicuerunt, quos Ethici communiter sequuntur. Utilitatem facit duplicem, unam privatam, & alteram publicam. Privata est, quod virtutem ipsam ex differentiâ Spontanei & Inviti cognoscere, laudabiliaq; à vituperabilibus dignoscere possimus. Publica est, quod ad leges ferendas & ad præmia pariter atq; supplicia decer-



decernenda hæc doctrina multum faciat. Nam hîc quoq; , uti est apud Horat. Saty. lib. 1. 3.

Ponderibus modulisq; suis ratio utitur, ac res

Ut quæq; est, ita suppliciiis delicta coërcet.

Nostram itaq; causam ipse Philosophus jam olim oravit, ut quàm bonum factum sit, de Spontaneo ac Invito non nihil commentari, ipsi dicere necessum non habeamus.

Thef. III. Spontè accipitur vel in sensu communi, vel Philosophico. Juxta communem usum latinè loquentibus id omne Sponte fieri dicitur, quod secundum naturam fit, citra externam coactionem. Hoc modo de inanimatis pariter & animatis dicitur. De inanimatis Virg. lib. 6. Æneid.

Ostia jamq; domûs patuere ingentia centum

Sponte suâ.

De animatis, secundum omnes tres animas. De brutis & hominibus passim. De arboribus idem Poëta sub initium lib. 2. Georg.

— Aliæ nullis hominum cogentibus, ipsæ

Sponte suâ veniunt.

Et alibi sæpius. In Dialogo de Orator. Tacitus aut Quintil. c. 7. in genere: Gratiore inquit, quæ Spontè nascuntur. Hujus verò usus communis ratio aliqua Philosophica ( licet id ubique fieri necesse non sit ) hoc loco dari potest. Nimirum apud Philosophos appetitus est triplex, naturalis sine cognitione, sensitivus cum cognitione absq; ratione, rationalis cum cognitione & ratione. Etsi verò primus æquivocè appetitus vocetur, siquidem ignoti nulla cupido, propriè scilicet dicta, esse potest; In eo tamen cum posterioribus duobus convenit, quod citra externam coactionem subjectum suum moveat, non aliter ac appetitus sensitivus bruta, & rationalis homines ad objectum rapit suum. Et proinde motus ille inanimatorum Spontè fieri non sine omni ratione dicitur. Extra hanc verò significationis latitudinem, contra usum latinæ, vocem extenderat Cardanus, à Scaligero lepidè castigatus Exercit. 62. num. 2. Scripserat Cardanus: Finge lunam Spontè & nullis radiis Solis adjutam esse persimilem flammæ. Quis usus inquit Scaliger, quævè lex ibi sit significandi, eqvidem fateor

in-



ingenuè mensescere. Et hoc ibi à Cardano præter latinitatis usum dictum esse pronunciat Scaliger. Ut proindè Wendelinus injuriam ipsi faciat, qui Philosophiæ mor. lib. 1. c. 4. §. 99. hanc Scaligeri censuram de iis Cardani locutionibus explicat, in quibus inanimata & plantas spontè agere dicit. Hæc enim nullibi contra latinitatis usum sed Philosophiæ ἀνεπιβειαν dici, alibi asserit.

Thef. IV. In sensu Philosophico sumitur iterum dupliciter; vel latè, prout homini cum brutis commune est, aliudq; spontè & aliud liberè agere esse dicitur; vel strictè, prout homini proprium, sponteq; agere & liberè, unum idemq; est.

Thef. V. Utriusq; acceptionis occasionem dedit ipse Aristoteles. Bruta enim Sponte ipsi agere 3. Nicom. c. 3. 4. dicuntur, quibus pueros, scilicet quoad usum non rationalis sed sensitivæ facultatis tantùm, eodem in loco jungit. Imò non desunt, qui definitionem ipsam Spontanei ab homine & bruto abstrahere, & utriq; communem esse dicunt. Inter eos est Eustachius à Sancto Paulo Part. 3. Ethicæ tract. 1. disp. 1. quæst. 1. Hinc prior acceptio nata est. Verùm cum in definitione requiratur, uti postea videbimus, scientia circumstantiarum singularium, eaq; in bruta cadere non possit, siquidem finem actionis suæ materialiter, non formaliter, & quis finis, non quatenus finis sit, cognoscunt: Ideò homini, propriè loquendo, Spontaneum proprium est: Thom 1. 2. quæst. 6. artic. 2. Indè altera acceptio originem traxit suam.

Thef. VI. Hanc Philosophicam accuratè loquendi curam Scaliger in Cardano rigorosè desiderat. Cardanus quædam Spontè provenire dixerat. Sed neq; hic defuerunt, inquit Scaliger, qui puritatis Studiosi Philosophi (Notanter Philosophi; nam Pœtæ liberiolem linguam esse, in exemplo Virg. patet, qui supra arbores, sponte suâ venire dixit) tuam desiderant diligentiam. Exercit. 140. num. 1. Et Exercit. 77. num. 1. Quid aliud est Spontè quàm voluntariè ac libenter? Hoc enim adverbium ex sponsionibus natum est. Sponsiones autem omnes voluntariæ. Idcirco non sine libamentis fieri consueverant. Undè vox σπονδῆ, spondeo. Quod testimonium Summi Viri ad eò benignum in nos est, ut Etymologiam pariter & Synonymiam nostri loco exsolvat. Ita Synonymicè, quod Plin. lib. 1. Epist. 12. & 22. Spontè exire è



vita, & Sponte decedere vocat, id voluntariam ibi alibiq; mortem dicit.

Thef. VII. In sensu verò Philosophico stricto iterum vel ut abstractum, vel ut concretum considerari potest. Concretum Latini adjectivè Spontaneum, abstractum Scholastici Spontaneitatem Substantivè dicunt. Nos in sensu Philosophico stricto, cæteris omnibus jam misis, de Spontaneo ut concreto agemus.

Thef. VIII. Quando itaq; quæritur, quid sit actio Spontanea, sensus est, quomodo animus hominis habere se debeat, ut actio aliqua externa hoc nomine vocetur. Nam distinctio actionis humanæ in Spontaneam & Invitam solius externæ aut imperatæ est, ut in limine jam monuimus. Hinc Spontanea ad actum voluntatis, qui solus actio elicita est, tanquam principiatum ad principium se habere debet.

Thef. IX. Intellectum v. pariter ac voluntatem concurrere debere, ex subordinatione utriusq; potentiæ (ex hypothesi, has duas esse potentias realiter in homine distinctas) aut actuum (ex hypothesi, eas distinctas non esse) indubiè constat. Vetus dictum:

— — Ignoti nulla cupido.

Thef. X. In intellectu igitur scientia, & in voluntate actus volendi, quem volitionem vocant, requiritur. Illam actionis, ut spontanea est, externum, hunc internum principium, non malè vocat Keckermannus in præcog. Syst. Eth. pag. 54. Per prius invitæ per ignorantiam, per posterius violentæ opponitur.

Thef. XI. Utrumq; hoc requisitum considerabimus dupliciter, primò absolutè & secundò respectivè. Absolutè, secundum suam utrumq; definitionem spectandum est.

Thef. XII. Scientia hoc loco non solius facti sed circumstantiarum moralium est, ut non tantùm me fecisse, sed has aut alias adfuisse circumstantias probè sciam. Sic Oedipus hominem se occidere, uxorem ducere, & liberos gignere noverat. Sed Patrem occisum, Uxorem Matrem esse ignorabat. Seneca in Oedip.

Scandere quin etiam thalamos hic impius hæres  
Patris, & immeritæ gremium incestare Parentis  
Appetit, proprios (monstrum!) revolutus in ortus.  
Ille tamen Superis æterna piacula solvit  
Projecitq; diem.

Thef.



Thef. XIII. Ex tali Scientia circumstantiarum singularium oritur Conscientia de faciendo, ceu loqvuntur, aut rei faciendæ, (contradistincta conscientia de facto aut rei factæ) quæ an rationis seu mentis humanæ facultas, ipse intellectus, ejus habitus, an actus sit, vide disputantes Scholasticos, super Thomæ 1. quæst. 79. artic. ultimum. Nobis est judicium intellectûs practici de re bona faciendâ, & de mala omittendâ. Hinc secundum triplicitatem hujus judicii, triplex etiam conscientia facta est, ut ad rectum recta, ad probabile probabilis, & ad erroneum erronea referatur. Quia vero dubitatio & hæsitantia nonnullis etiam judicia intellectus esse dicuntur, ( licet propriè loquendo hoc nomen sustinere non possint ) hinc à Scholasticis præter illas tres dubia quoque & scrupulosa conscientia fabricata est. Id verò ulterius jam persequi non licet. Hoc autem ad rem nostram facit, quod in homine ante actionem ex notitia circumstantiarum internum aliquod præceptum, & ex scientiâ conscientia consurgat.

Thef. XIV. Actus volendi plenus esse debet, ut sine omni propensione ad contrarium (quæ in mixta adesse solet) id libenter, & ex Plauti stylo *Asin. act. 2. Scena 2. lubentiâ lubentius faciam.*

Stat conferre manum, stat quicquid acerbi est

Morte pati.

De Turno Virg. *L. Æn. XII.*

Nimirum ad eò plenus volendi actus esse debet, ut in eo quod semel decretum est, constanter perstare ac perseverare velim, licet id difficile sit ex sententia Philosophi, lib. 3, *Nicom. c. 1.* Non enim satis est judicare quid faciendum sit aut non faciendum, sed stare etiam oportet in eo, quod sit judicatum; ceu loquitur iisdem propemodum verbis cum Philo sopho Cicero lib. 1. de *Fin.*

Thef. XV. Respectivè Scientia & actus volendi inter se conferuntur secundum gradus causalitatis suæ, & prout actio, ut Spontanea est, ab iis dependet. Maximè vero eam actus voluntatis, imò intrinsecè solus constituit. Etsi enim scientia secundum ordinè prima causa est, primaria tamen esse nequit, siquidem libertas per se in sola voluntate est, nec per scientiam actioni conferri potest. Imo Scientia actionis, ut Spontanea est, non vera causa, sed ea tantum, quam Metaphysici causam aut conditionem sine quâ non vocant

cant



cant, putanda est. Cum enim actus voluntatis plenus esse non possit, nisi scientia omnium circumstantiarum præcesserit; ideo hæc adillum se tanquam conditio habet, sine quâ effectus sequi non potest. Id verò multis modis probare possumus. Scientia enim actioni Spontanæ ac violentæ communis esse potest, imò ubi utraq; in diversis subjectis scientiæ capacibus, puta hominibus conjungitur, communis esse debet. Nec enim melius noverat Tarquinius Sextus quid volebat, quàm Lucretia, quid nolebat, quamdiu victrici libidini fortiter resistere poterat, apud Liv. Dec. 1. Lib. 1. Et hoc est inquit Grotius, lib. 2. de jure Belli & Pac. c. 21. n. 2. quod ajunt leges, scientiam cum puniri jubetur, accipi pro patientia, ut qui prohibere potuit teneatur, si non fecerit; & scientiam hic spectari, quæ habeat & voluntatem: Scientiam accipi cum consilio.

Thef. XVI. Ex quibus requisitis actionem spontaneam esse constat, cujus principium est in agente, & singula in quibus actio est, sciente; sive uti ait Philosophus 3. Nicom. c. 2. res singulas eas, in quibus actio consistit, non ignorante.

Thef. XVII. Opposita huic invita (à vi, quod per vim, aut ab in & vito, quod vitante animo fiat. Martinius in Lexico.) de inanimatis pariter & animatis in sensu communi non minus ac suprâ spontè, dici potest. Calor, nisi ad summum pervenerit, motum habet levem, atq; ob id invitus non Spontè extinguitur, inquit Scaliger contra Cardanum Exercit. 55. num. 1. De terrâ semina nondum appetente Virg. lib. 1. Georg.

Invitæ properes anni spem credere terræ.

De canibus, tanquam brutis, Plaut. Stich. Act. 1. Scen. 2. Stultitia est venatum ducere invitas canes. De hominibus nihil frequentius dicitur. Imò de ipsâ DEâ,

Tu nihil invitâ facies dicesve Minervâ,

per proverbium dicitur apud Horatium, ad Pisones de arte Poëtica, quod ad omnes spectat, quemadmodum Minerva artibus omnibus præesse existimatur.

Thef. XVIII. Hujus etiam significationis communis ratio aliqua Philosophica dari potest. Violentum enim opponitur vel Spontaneo vel Naturali. Naturali, ubi contra naturam agentis vel patientis est, & in rebus tam inanimatis quàm animatis reperiri potest.

Spon-



Spontaneo, ubi contra voluntatem agentis vel patientis aliquid est, & tantum in hominibus invenitur. Ubi priori sensu invitum ad res tam inanimatas quam animatas omnes vulgò applicatur.

Thef. XIX. In hoc loco accipitur in oppositione ad Spontaneum homini proprium, eiq; non minus ipsum soli attribuitur. Hic sensus Philosophicus est. Vocatur hoc sensu involuntarium, Grotius lib. 2. de jure bell. & pacis c. 17. num. 18.

Thef. XX. Juxta duplex verò requisitum actionis Spontaneæ gemina quoq; invita, una per ignorantiam & altera per violentiam, esse dicitur. Ea enim suscipere dicimur invitum, quæ aut vi aut ignorantia geruntur. Arist. lib. 3. Nicom. c. 1.

Thef. XXI. Ad invitam per ignorantiam requiritur, ut ignorantia sit causa sine qua non hujus actionis, adeò, ut, si absq; hac ignorantia fuisset, voluntas illam actionem nunquam imperasset. Talis vero ignorantia, quæ invitam producere potest actionem, spectari debet, vel ante vel post eam. Ante actionem debet esse invincibilis & effectiva; Post actionem victa quasi & affectiva.

Thef. XXII. Effectiva est, quando præcisè propter ignorantiam aliquid facio, ita ut ignorantia actionis meæ dux, non comes tantum sit. Hinc distinguunt vulgò ex Philosopho 3. Nicom. c. 2. inter ignoranter aut ex ignorantia, & ignorantem aut cum ignorantia agere. Prior sensus est reduplicativus, posterior specificativus. Ibi ago, quatenus ignoro, hinc qui ignoro. Cum ignorantia vero non causa, dupliciter agere videor (1) quando e. g. propter malitiam animi quasi universalem id, quod cum ignorantia egi, non improbo, adeò, ut moraliter actio quasi ipsa per ipsam producta esse judicetur. Huc pertinet ille qui lapide, quo corvum prætervolantem petebat, aberrante, & in Novercam recidente: ne sic quidem malè, inquiebat. Plut. de tranquillitate animi; ubi eandem exclamationem de Diogene exule adhibet, qui philosophari in exilio auspiciatus est. (2) quando ignorantia meæ specialem causam habeo, adeò, ut actio invita a via quasi volentem habere videatur. Hinc Aristoteles hanc ignorantiam ex electione vocat, lib. 3. Nicom. c. 3. quod deliberatò quasi eam velim, dum vitium ex quo oritur volo & appeto. Huc pertinet exemplum Aristotelis Nicom. 3. c. 2. de ebrioso (cujus vitium

B habi-




habitus, uti ebrii solus actus est) qui cum ignorantia quidem sæpe peccat; sed quia ipsa voluntaria est, nata ex illa actiones merito pro Spontaneis habentur. Verè Grotius lib. 2. de jure bell. & pac. c. 17. num. 18. Involuntarium, inquit, ex voluntario ortum trahens, moraliter pro voluntario habetur.

Thef. XXIII. Invincibilis ignorantia est, cum quis nescit ea, quæ scire non poterat, nec debebat. Hanc Jcti probabilem vel justam, vincibilem verò improbabilem vel injustam vocant, siquidem per leges invincibilis ignorantia excusatur, vincibilis improbat, siquidem illa sine culpa, hæc malâ fide contrahitur. Debemus autem scire omnia, quæcunq; actionem antecedunt, uti sunt principia & præcepta juris, & quæ, uti circumstantiæ, comitantur. Jus vel est totius Universitatis vel meæ Civitatis. Id, jus naturæ, & Gentium esse dicimus. Hoc positivum vocamus. Utrumq; non minùs scire possumus quàm debemus. Illius ignorantiam, tanquam iniquissimam, Aristoteles ignorantiam finis, honesti, utilis, & Latini ratione Subjecti vocant. Circumstantiæ morales sunt vel universales, vel particulares. Utrasq; debemus, illas quoq; facilè scire possumus. Hanc ignorantiam Aristoteles singularium, Latini ratione objecti appellant. Neq; illarum sed harum inscientia actionem invitam facit. In his etiam venia & misericordia locum habent, & qui harum aliquam ignorat, invitatus agit. Verba Philosophi sunt. Vide hunc eas recensentem lib. 3. c. 2. Nicom.

Thef. XXIV. De debito igitur facilè constat, siquidem latissimum est, & omnium cognitionem nobis imponit. Sed ad invincibilitatem cognoscendam, & quæ cognosci non possint, accuratiori circumstantiarum inquisitione opus est. Ex iis verò hîc ea scire posse dicimur, quæ morali possibilitate nobis innotescere possunt. Sit aliqua urbs v. g. aut valdè remota, aut ab hoste obsessa. Contingat in eâ aliquid, e. g. mors Amici, cujus hæreditas ad me spectet. Eam hoc rerum statu scire non possum, licèt absolute notitiam ejus ad me venire impossibile non sit. Hinc talem ignorantiam facti esse & excusare communiter dicitur.

— — — Proxima puris

Sors est manibus, nescire nefas. Senec. in Herc. furente v. 109.  
In gene-





In genere possumus hic applicare, quæ de præsumpta bonorum derelictione habet Grotius lib. 2. de jure bell. & pac. c. 4. num. 6. Ut hæc ignorantia (per applicationem ita loquimur) adfuisse censeatur, valent & aliæ conjecturæ, sed temporis in utrumquæ magna vis est. Nam primum fieri vix potest, ut multo tempore res ad aliquem pertinens non aliquâ viâ in ejus notitiam perveniat (saltem morali possibilitate pervenire possit) cum multas ejus occasiones, subministret tempus. Inter præsentis tamen minus temporis spacium ad hanc conjecturam sufficit, quàm inter absentes.

Thef. XXV. Huc pertinet distinctio actionis apud Thom. 1. 2. quæst. 6. artic. 8. in antecedentem, consequentem, & concomitantem. Ubi notandum est, hos terminos à Scholasticis non in ordine ad actionem, sed ad voluntatem accipi. Antecedens igitur est causa ipsa volendi, & faciendi, quod quis alioquin nec faceret nec vellet, si sciret. Consequens est effectus voluntatis, ubi aliquis vel studio vel negligentia, saltem indirectè, ignorantiam ipse voluit. Concomitans est comes non dux aut causa actionis, cum quis ignorans aliquid facit, sed quod committeret nihilominus, si sciret. Quæ Consequens dicitur, iterum vel ex negligentia crassa (culpam latam aliàs dicunt) vel affectatâ oritur; de quibus Philippus apud Paulum ab Eitzen lib. Eth. 1. c. 14. Existimo, inquit, eruditè dici toto genere distare dolum & culpam & peccatum ignorantia & negligentia, vel errores, quos si Sancti intelligerent, non essent contra conscientiam commissuri, & talia intelligantur excusabilia peccata ignorantia & negligentia non affectata.

Thef. XXVI. Præterea hic à Scholasticis applicatur distinctio inter ignorantiam pravæ dispositionis, puræ negationis, & privationis. Prima ignorantia est malè scientis, secunda nihil scire potentis, tertia nihil scire volentis. Ex quibus secunda pro invincibili, prima pro effectiva, tertia pro vincibili & affectata habetur.

Thef. XXVII. Post actionem ignorantia victa quasi per pœnitentiam, & in dolente affectiva esse debet, ut agens ex ignorantia, errore suo cognito, facti pœnitentiâ ducatur. Invitè enim id sanè fieri dicendum, inquit Philosophus 3. ad Nicom. c. 2, quod sub-



sequitur dolor, ejusq; eum, qui egit, pœnitet. Nam ubi pœnitentia non sequitur, consensus post actionem, quasi ante actionem adtuisset, censetur, ipsaq; ignorantia non dux sed comes actionis esse putatur. Dolens Ovidius post factum ex errore commissum, & miser l. 2. trist. in El. ad Aug.

Cur aliquid, inquit, vidi, cur noxia lumina feci?

Cur imprudenti cognita culpa mihi est?

Thef. XXVIII. Ex his requisitis actionem invitam per ignorantiam esse constat, cujus causa (sine quâ non) est ignorantia invincibilis, ante actionem effectiva & post actionem affectiva.

Thef. XXIX. Ad actionem invitam per violentiam duo requiruntur. (1) intra subjectum agens, plena voluntatis repugnantia; & (2) extra illud, principii cogentis externi sufficiens virtus. Ad prius consequitur posterius requisitum. Voluntas enim sibi ipsi non repugnat. Nec ab affectibus (licet hi etiam voluntati extrinseci sint) cogimur. Absurdum enim fuerit, hæc (ab affectibus profecta) in iis, quæ invitè fiunt, numerare. Philosophus 3. Nicom. c. 3. Ergo id, quod cogit, externum esse necesse est. Imò per prius magis quàm per posterius actio violenta constituitur. Quemadmodum enim v. g. lapis, violento motu in altum projicitur, quia hic motus contra naturam ipsius ab externo principio, homine v. g. provenit; & contra, violentus lapidis motus non est, si ab eodem externo principio juvetur ut decidat, quia hic motus contra lapidis naturam non est: Ita in Ethicis multæ actiones Spontaneæ ab externo reguntur juvanturq; principio, eaq; solùm violentæ censentur, ubi principium ita externum est, ut res illa sit omninò contra animi nostri inclinationem. Externum itaq; principium non ut externum sed ut repugnans actionem invitam facit. Hinc propter defectum plenæ & finalis repugnantia stupratio Lucretiæ pro absolutè violentâ vix haberi potest, siquidem, uti est apud Liv. Dec. l. lib. 1. circa finem, metu mortis quidem non inclinabatur; vicit tamen obstinatam pudicitiam velut victrix libido, cum ad metum dedecus Tarq. addidit, & cum mortua jugulatum servum nudum positurum dixisset, ut in sordido adulterio necata diceretur.

Thef. XXX. Ex quibus requisitis constat actionem invitam per violentiam aut coactionem esse, cujus principium est extra voluntatem

luntatem



luntatem agentis vel patientis, cum plena ejus repugnantia. Idem dicit Philosophus lib. 3. Nicom. c. 1. Est id, inquit, violentum, cujus principium extra est, atque ejusmodi, ut nihil adjumenti adferat is, qui agit aut qui patitur; aut, uti paulò infra loquitur, cum id, cui vis infertur, nullam operam, ex propria scilicet voluntate, conferat. Exemplum quoque ejus de eo, qui à vento aliò defertur, valdè commodum est, & utrumque requisitum eleganter declarat.

Thef. XXXI. Inter invitam utramque & spontaneam secundum duplex hujus requisitum duæ interjacent intermediae actiones, quæ ad neutram classem præcisè referri possunt. Inter spontaneam & invitam per ignorantiam media est, quæ ab ignorante non ignoranter producitur. Neutra enim expressè est, licet ad spontaneam per moralem æquipollentiam referatur. De tali eleganter Philosophus ipse l. 3. Nicom. c. 2. Qui per inscientiam inquit, aliquid egerit, neque ex ea actione dolore afficiatur, spontè quidem ille non egit, utpote quod nesciebat: Nec rursus invitus, cum minus ægrè ferat. Is igitur, quem facti per ignorantiam pœnitet invitus: quem non pœnitet, quoniam diversus ab illo est, non spontè, facere dicatur, quoniam enim ab altero differt, aptius est habere suum nomen. Unde Non-spontanea termino generaliori vocari potest. Quæ vero inter invitam per violentiam & spontaneam, respectu voluntatis, inediat, Philosopho ipsi l. 3. Nicom. c. 1. specialiori voce mixta, & invita secundum quid dicitur. Quæcumque inquit, majorum malorum metu, vel honesti alicujus causa aguntur, utrum hæc spontè vel invitè fiant, ambigi potest. Quibus verbis ipsa definitio actionis mixtæ continetur. Exempla duo ipse suppeditat. Quod de mercibus exortâ tempestate ejectis affertur, tritum est. Alterum de Tyranno, iniquò imperiò à nolente volente actionem inhonestam impetrante, de nostro tempore nos informat, ubi ad Magistratus præceptum alicubi regio vel religio relinqui debet, & à nolentibus volentibusque hoc aut alterum fieri videmus.

Thef. XXXII. Considerari potest actio mixta vel absolutè vel hypotheticè. Absolutè (simpliciter & per se dixit ipse Philosophus) prout ratione objecti consideratur, sine respectu ad hunc finem, est invita. Nemo enim quicquam tale ipsum propter se optaverit. Arist. l. 3. Nicom. c. 1. Hypotheticè sub hoc fine & hoc



statu temporis iis quæ sponte aguntur similior esse videtur. Probat id Aristoteles duplici modo, (1) quod esse possint, & (2) quod sint spontaneæ. Sunt enim optabiles & eligendæ, cum aguntur. Ibidem. Ex Virg. l. 12. Æneid. talis quispiam dicet:

Do quod vis, victusq; lubensq; remitto.

Atq; sic possunt esse spontaneæ ex habitudine sui. Deinde quòd sint, ex subjecto & objecto probat, idq; ex momento, in quo fiunt, præcisè cognoscendum est. Spontè inquit, agi aliquid, vel invitè dicendum est, tum, cùm agitur; at spontè agit. In eo enim est partium movendarum, quæ actionibus ejusmodi quasi perficiendis instrumenta adhibentur, principium. Et paulo infra de objecto: In rebus singularibus versantur actiones; at res singulares spontè aguntur.

Thef. XXXIII. Dividi potest secundum Aristotelem ibidem tripliciter. Vel enim laudem vel commiserationem, vel planè detestationem meretur. Laudem, ubi cum aliquo dedecore & molestia sine scelere propter bonum publicum fit; qualis actio Solonis fuit, instar furibundi procurrentis in forum ut legem quandam Athenis abrogaret. Vide Diogenem Laertium in ejus vita. Commiserationem, ubi aliquid quodammodo inhonestè sed ex gravissimis causis fit. De talibus factis Cicero pulchrè disputat in Orat. pro Cæc. Detestationem, ubi inhonestissimè fit. Talia vero sunt ejusmodi, inquit Philosopho, c. 1.3. Nicom. ut nullâ aut necessitate coacti ea agere debeamus, potiùsq; nobis mors sit optetenda, gravissimiq; cruciatus perferendi. Horatius eleganter l. 1. Epist. 16.

Vir bonus & Sapiens audebit dicere, Pentheu  
Rector Thebarum, quid me perferre patiq;  
Indignum coges? adimam bona. Nempè pecus, rem,  
Lectos, argentum; tollas licet. In manibus &  
Compedibus sævo te sub custode tenebo.  
Ipse DEus simul atq; volam, me solvet, opinor.

Corolla-



# COROLLARIA.

## I.

*Voluntas non potest appetere malum sub specie mali, odisse bonum sub specie boni.*

## II.

*Non omne voluntarium in homine est actus aliquis.*

## III.

*Fallacia oculorum, forsitan & animi, fuit Ludovici ab Avila, quando de praelio Johannis Friderici Electoris Saxonie cum Carolo V. Imperatore Superiori Seculo ad Mülbergam commisso, lib. 2. p. 265. ipse oculatus testis scribit: Sol perindè ac si cursum tardasset, spaciumq; diei addidisset, quùm intentius intueremur, altior, quàm pro horarum ratione, ferri visus est. Cæterum, quò animi morbo Scriptor ille laboraverit, hinc non obscure patet, quòd inclytum Heroem, Johannem Fridericum Electorem, Barbarum magnum p. 259. vocet, quem tamen p. 291. animi magnitudine, beneficiis ac munificentia clarum, prudentem, aditu & colloquio facilem, & pro captu suo admodum amabili sermonis suavitate & gratia fuisse, tradit.*

## IV.

*Exemplum Pontificie Superstitionis parum valida legimus in epitome Frossardi lib. 1. A. 1361. In his angustiis positi, quò repellerent immanissimam gentem (milites Gallos Pontifici & Cardinalibus circa Avenionem jam imminentes) quæ nullum non maleficii genus perpetrabat, crucem predicari jusserunt, concessa admissorum omnium remissione. Convenere plurimi. Sed cum Salarii nulla fieret mentio, subduxerunt se omnes.*

Vere



Vere hęc fragrantēs dum sponte resurgere cernis  
Flores, Flos juvenum! surgere & ipse cupis.  
His decor est fragilis, Tibi laus mansura paratur,  
Quod, laudem rectè qui mereat, doceas.  
Est grave quod sumis, superat sed mentis acutæ  
Vis, (mens non læva est,) mox graviora dabis.

*Ita suo Domino Consalino ex animo gratula-  
bundus applaudebat*

L. Joh. Adam. Scherzer / P. P.

## Sonnet.

**M**inerva liebt den Fleiß / die Göttin unsrer Kunst /  
Wenn man fein willig ist / und treibet sein Studiren  
Mit ungezwung'ner Müß' / und läßt sich selber führen  
Von seiner eignen Lust / und innerlichen Brunst.  
Diß ist es / was auch Ihm / Herr Beckman / diese Gunst  
Der Göttin eigen gibt. Sein Geist läßt Feuer spüren /  
Das kan Ihm durch und durch sein ganz Gemüthe rühren.  
Ein Feuer ist sein Fleiß; nicht blosser Dampf und Dunst.  
Wie ist das wohl gethan! den Eltern macht Er Lust  
Durch solche Lust und Fleiß. Die Lust der Stouinnen /  
Der Grosse Jacob / liebt und lobet Sein Beginnen /  
Und mir ist auch ein Theil von dieser Lust bewust.  
Er fahre nur so fort. Wer willig leht studiret /  
Der wird vom Vaterland auch willig drauff gezieret.

Mit einem herzlichem Glückwunsche  
gesetzt von

M. V. Alberti, Præsides.

F I N I S.